

*Vidi aquam egredientem de templo,  
et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt  
(Ant. Vidi aquam).*

Léctio libri Ezechiélis prophétæ

47, 1-2. 8-9. 12

In diébus illis:

<sup>1</sup> **C**onvértit me ángelus ad portam domus Dómini,  
et ecce aquæ egrediebántur subter limen domus  
ad oriéntem;  
fácies enim domus respiciébat ad oriéntem,  
aquæ autem descendébat a látere templi dextro  
a merídie altáris.

<sup>2</sup> Et edúxit me per viam portæ aquilónis  
et convértit me ad viam foras ad portam exteriórem,  
quæ respiciébat ad oriéntem;  
et ecce aquæ exeúntes a látere dextro.

[3-7]

<sup>8</sup> Et ait ad me:  
«Aquæ istæ, quæ egrediúntur ad regiónem orientálem  
et descéndunt ad Arabam,  
intrábunt mare, aquas salsas, et sanabúntur aquæ:

<sup>9</sup> et omnis ánima vivens, quæ movétur,  
quocúmque vénerit torrens, vivet,  
et erunt pisces multi satis,  
postquam vénerint illuc aquæ istæ,  
et sanabúntur et vivent ómnia, ad quæ vénerit torrens.

[10-11]

<sup>12</sup> Et super torrémentem oriétur in ripis eius ex utrâque parte  
omne lignum pomíferum;  
non défluet fólium ex eo, et non defíciet fructus eius:  
per síngulos menses áfferet primitíva,  
quia aquæ eius de sanctuário egrediéntur,

et erunt fructus eius in cibum,  
et fólía eius ad medicínam».

Verbum Dómini.